

versus Tabariam per dietam unam. Deinde comes¹, dux et previus itineris, totum exercitum conduxit in eminentem et saxosum locum. Ibi vero imminentibus hostibus undique necessitate compulsus rex de baronum consilio bellum committere dignum duxit et ad eorum instantiam magistro et militibus templi primos ictus concessit, dispositis per acies suo ordine ceteris militibus ad pugnam et comiti Tripolitano ceterisque capitibus bellatorum vexillis traditis. Itaque militia templi sicut leo fortis in hostes concurrens partem stravit, partem fugavit. Ceteri vero regio spreto mandato non processerunt ad pugnam nec ullum eis prestavere succursum². Unde milites templi retenti et trucidati sunt. Postmodum vero christianorum exercitum laborioso itinere confectum et nimio caloris estu pregravatum aqua omnino deficiente Parthi igne circumdederunt. Tunc sex ex militibus regis: Balduinus de Fotina, Raulfus Bructus et Laudoicus de Tabaria³ cum aliis tribus sotiis diabolico spiritu arrepti ad Saladinum confugerunt et sponte Sarraceni facti de omni esse et proposito atque continentiis christianorum instruxerunt⁴. Saladinus vero, qui de discrimine belli anxius dubitabat, resumpsit vires et cum tubis et infinita multitudine bellatorum in christianos, qui propter⁵ loca saxosa et invia pugnare non poterant, assultum fecerunt et eos omni bellandi genere impugnavit et expugnavit. Tandem Tochedinus, Saladini nepos, regem fugam arripientem et crucem Dominici ligni cepit. Ceteri omnes fere confracti, capti, trucidati et vinculis mancipati sunt ab ipsis Parthis, campo omnino proh dolor! superato. Statim⁶ Saladinus militie templi et hospitalis milites segregari fecit ab aliis et coram se decapitari, ipse propria⁷ manu principem Rainaldum de Castellione interfecit⁸. Deinde civitatem Accon cepit⁹ et adiacentia loca¹⁰ et munitiones fere omnes de partibus illis¹¹. Sirii, qui Ierosolimis remanserant, sicut ferebatur, nuntios de reddenda civitate Saladino mittebant¹². In Tiro omnes, qui de Accon con-

1) Raimund von Tripolis; dass er das Heer geführt hat, ist sonst nicht überliefert. 2) Die Darstellung dieses ersten Schlachttages vom 4. Juli weicht erheblich ab von der nach andern Quellen gegebenen Schilderung bei Röhricht, Beitr. I, 125. Dass aber die Templer vorgehen und von den andern Truppen im Stich gelassen werden, liest man auch in dem Briefe an Archumbald (SS. XVII, 508). 3) Die Namen dieser Verräther scheinen hier genauer wiedergegeben zu sein als SS. XVII, 508. 4) 'Saladinum' ist zu ergänzen. 5) 'prope' Hs. 6) Nach Röhricht, Beitr. I, 129 am 7. Juli. 7) Es folgt ein getilgtes 'ma' am Rande. 8) Vgl. Röhricht I, 115. 128; danach schon am 5. Juli. 9) Am 9. Juli. 10) 'loco' Hs. 11) Vgl. Röhricht I, 130. 131. 12) Vielleicht dieselbe